



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Vtrum Christi passio sit opus Dei vel Iudæorum. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

passionē accessit: Et pater eum tradidit, quia voluntate patris, imò totius trinitatis passus est. Iudas tradidit, prodēdo, & Iudæi instigando: & fuit act⁹ Iudæ & Iudæorū malus, & actus Christi vel patris bonus: opus Christi & patris bonū, quia bona patris & filii voluntas: malū fuit opus Iudæ & Iudæorum, quia mala fuit intētio. Diuersa fuerunt ibi facta siue opera, i. diuersi actus, & vna res siue factū, scil. passio ipsa. Idemq; doctores aliquando vniunt in facto illo patrem, filium, Iudam, Iudæos, aliquādo disiungunt. Respicientes enim ad passionem, vnum opus illorum dicunt: attendentes intētionem & actus, facta diuersa discernunt. Vnde Aug. Facta est, inquit, traditio à patre, facta est traditio à filio, facta est traditio à Iudæ: vna res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit pater & filius in charitate, Iudas vero in prodicione. Videris quia non quid faciat homo, sed qua voluntate, cōsiderandum est. In eodē facto inuenimus Deum, quo Iudam: Deum benedicimus, Iudam detestamur: quia Deus cogitauit salutē nostram, Iudas cogitauit precium quo vendidit Dominū, filius precium quod dedit pro nobis. Diuersa ergo intētio diuersa facta facit, cum tamen sit vna res ex diuersis. Ecce vnam rem dicit ibi fuisse, & diuersa facta: quia vna ibi fuit passio, sed diuersi actus. Et actus quidem Iudæ ac Iudæorum mali, quibus operati sunt Christi passionem, quæ bonum est & opus Dei est.

Quod Christi passio dicitur opus Dei, & Iudæorum, & quomodo.

D

Passio ergo Christi & opus dicitur Iudæorum, quia ex actib. eorum prouenit: & opus Dei, quia eo auctore, i. volente fuit. Vnde Aug. Nemo aufert animam Christi ab eo, quia potestatem habet ponendi & sumendi eam. Ecce habes auctorem operis. Ponet animam. Ecce habes opus auctoris. Et vt generaliter concludam, quoties in carne Christus aliquid pati-

Aug. tract.

7. ad illud

1. Ioan. 4

Quia filium

suum vni-

genitum mi-

sit in mun-

dum, to. 9:

Ioan. 10. d